

entis a se. Major hujus ultimi argumenti sic ostenditur. Conferre importat, quod aliquid habeat, quod confert; recipere dicit, quod aliquid non habeat, quod recipit; atqui habere, & non habere, sunt contradictoria, adeoque impossibilitatem includunt: ergo impossibile est, idem posse a se aliquid recipere, & posse sibi aliquid conferre.

III. Non pauca in rerum natura videmus monstra apparere. Hæc autem, vel Deo sciente, vel Deo nesciente, nascuntur? Si nesciente? Non est Deus, qui non omnia scit. Si sciente? Aut non impedit illa, quia non vult, aut quia non potest? Si quia non potest? Non est Deus, qui non est omnipotens. Si quia non vult? Non est Deus, qui amat in opere suo defectus, & errores; & quum possit illos impedire, non impedit; & quum valeat illos emendare, non emendat; & quum teneatur illos avertere, non avertit.

IV. Si Deus esset, non solum fuisset Auctor, sed etiam esset Conservator operis sui. Conservatorem se esse non ostendit. Ergo nec fuit Auctor. Minorem probant. Ad quid enim vult esse in mundo feras, quæ hominem, mundi Principem, ad internicionem offendunt? Quare Principes recti parum regnant, & Tyranni longo imperio extolluntur? Quare impii supra cedros Libani exaltantur, & probi homines terram amplectuntur? Quare vilibus hominibus tot filii, quot ipsimet nollent, & regnorum Monarchis aliquando nec unus, a quo reipublicæ felicitas, & populorum pax, atque Principum concordia, dependet? Quare sapientes serviunt, & indolenti dominantur iisdem? Quare denique quando peccant homines, omnia iisdem cooperantur in bonum; quando vero non peccant, omnia vertuntur in malum?

V. Ens a se est idem ac ens primum; sed quod est ens primum, non est necessario ens primum: ergo quod est ens a se, non est necessario ens a se; sed quod non est necessario ens a se non est Deus: ergo quanvis admittatur ens a se, non per hoc admittendus est Deus. Minor argumenti probatur. Ens primum est primum in comparatione cæterorum; sed quod est primum in comparatione cæterorum, ita est primum, ut potuerit non esse primum: ergo quod est ens primum, ita est primum, ut potuerit non esse primum; atqui quod est ens primum, ut potuerit non esse primum, non est necessario ens primum: ergo quod est ens primum non est necessario

PAR. I.

ens primum. Probatur etiam minor argumenti paritate linearum, in qua sunt plures literæ, quarum prima ita est prima, ut potuerit etiam secunda, vel tertia, vel quarta, vel alia, esse prima; ac proinde prima ita est prima, ut potuerit ipsa non esse prima.

VI. Cuncta, quæ sunt in mundo, vana sunt; quod etiam sacræ literæ perhibent, Eccl. i. *Ecce universa vanitas*. Sed deberent potius esse bona, si Deus fuisset artifex eorumdem: ergo non Deus, sed casus, illorum omnium fuit operator. Minor probatur. Deus quum sit optimus, omnia, quæ facit, bona debet facere; sed quæ sunt bona, non sunt vana; ergo omnium, quæ sunt in mundo, & quæ non sunt bona, sed vana, artifex non est Deus. Ergo non bene ex illorum, quæ sunt in mundo, existentia, Dei existentia demonstratur.

VII. Nequit Dei existentia demonstrari ex entibus productis: ergo nulla est ratio, quæ cogat Atheos ad Deum admittendum. Probatur antecedens. Unum individuum potest producere aliud, & istud potest etiam producere aliud, usque in infinitum; sed in hoc casu non est necessitas recurrere ad primam causam: ergo non est necessitas ex entibus productis Dei existentiam inferre, qui esset eorumdem causa prima. Probatur minor. Quanvis quodlibet contingens non sit necessarium, tota tamen collectio potest esse necessaria: ergo non est necessitas recurrere ad primam causam. Probatur antecedens. A sensu distributivo ad collectivum non valet consequentia: ergo quanvis quodlibet contingens non sit necessarium, tota tamen collectio potest esse necessaria. Probatur etiam antecedens. Quanvis singuli milites non sint exercitus, singulæ oves non sint grex, singuli cives non sint populus; omnes tamen milites faciunt exercitum, omnes oves faciunt gregem, omnes cives constituunt populum: Ergo a sensu distributivo ad collectivum non valet consequentia.

VIII. In tantum nos probamus Dei existentiam ex motu, quia omne, quod movetur, ab alio movetur; sed hoc est falsum: ergo inepta est etiam consecutio. Probatur minor. Potest aliquid moveri a se ipso: ergo falsum est, quod omne, quod movetur, ab alio movetur.

IX. Quanvis admittatur, quod omne, quod movetur, ab alio moveatur, non per hoc deveniendum est ad aliquod primum ens, a quo omnia moveantur: ergo non per hoc probatur, quod Deus existat. Probatur

E

an-